

Petro principi apostolorum per manus domni Siluestri summi et universalis pontificis) contradidit, ea videlicet ratione et pacto ut in eodem loco monasterium et monachorum¹ congregatio constitueretur^a ac firmo robore stabiliretur. In quo scilicet loco iuxta eiusdem Eccardi comitis^b devotam petitionem ac ob fidelis^c (ac multiplicis) sui respectum^d servicii (et ob promerendam illius conventus perpetuam orationum condicionem^e) nostro imperiali^f privilegio ac confirmationis precepto fundum ipsum monasterium et congregationem cum omnibus sibi pertinentibus perpetua libertate atque immunitate (donare ac) roborari decrevimus atque statuimus, ita videlicet ut nullus successorum nostrorum regum vel imperatorum predictum locum alio tradere vel commodare presumat. Quecunque^g ergo in prediis atque aliis ecclesiasticę rei utensilibus ab ipso iam dicto fundatore vel ab alio quolibet religioso pro temporali^h sive pro aeterna salute vel pro defunctorum remedio animarum eidem monasterio oblata vel condonata fuerint, eadem libertate sub eiusdem congregationis providentiaⁱ retineri iudicamus atque constituimus. Insuper quoque iam dicti monasterii^k congregationi cunctisque eidem monasterio subditis prenomiatum^l comitem Eccardum^m advocatum sancimus esse ponendum, et quicumque post eius obitum in ipsius progenie maior natus visus fuerit extitisse, eiusdem advocationis curę decrevimus esse preficiendum. Hiis autem (de medio factis) abbas eiusdem monasterii, qui pro tempore fuerit, communi fratrum consilioⁿ eligat loco et congregationi utilem et competentem advocatum. Tradimus etiam predicto loco (imperpetuum quecunque imperiali dinoscuntur iuri subesse), quatenus^o abbas (plenariam) habeat potestatem ibidem monetam^p (formandi), theloneum recipiendi, statuendi habendi mercatum (et nundinas publicas et forenses causas auctoritate banni nostri decidendi). Et idem cenobium (omnibus libere) fungatur (imperialibus honoribus)^q, sicut Nova Corbeia, que huic contermina esse dinoscitur. Precipientes itaque nostra imperiali iubemus potestate, ut nullus iudex aut aliqua iudiciaria potestas vel

^a) consteneretur C. ^b) comitus (korr.) C. ^c) korr. aus fidelibus.

^d) respiciam C. ^e) conndiorem C; die Lesung ist nicht sicher; gewiß nicht commodiorem. ^f) imperiuli C. ^g) quemcunque C. ^h) temporalis C.

ⁱ) priudeñ. C. ^k) monastarii C. ^l) pronomiatum C.

^m) Eccardus C. ⁿ) concilio C. ^o) Ottauus C. ^p) korr. aus monatam.

^q) im ursprünglichen Texte stand wohl suo honore fungatur, wie im Privileg Silvesters II.